



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. IV. Ego te absolvo &c. idem est quod: Impendo tibi gratiam remissivam peccatorum, vel, Remitto tibi peccata tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

verba: *Baptizatur &c.* & qui physicè abluat, estò solùm dicatur, *Baptizatur*, sinè illis verbis, *A me*, eo ipso constat debere illa ità intelligi.

Sed contrà; etiam homines aliunde sciunt, Sacerdotem expositum audiendis Confessionibus, habere vim auctoritativè absolvendi, ergo dum, præmissâ Confessione, audiunt illa verba: *Dimittantur tibi peccata*; intelligunt eum loqui nomine suo, & non solùm declarare Absolutionem datam à Deo.

Nec obstat; quòd etiam illis verbis possit uti, si solùm declararet Absolutionem datam à Deo; quia etiam his possit uti: *Absolvo te*, in sententia Magistrì, qui putat Sacerdotem solùm declarare Absolutionem datam à Deo, & non verè absolvere à peccatis. Nisi ergo ex voluntate Christi requiratur expressor significatio personæ absolventis in iudicio sacramentali, quàm iudicis in iudicio humano, aut dispensantis in dispensatione, vel creditoris in remissione debiti humani, non omnino in-consequenter admittitur hæc forma valere: *Dimittantur tibi peccata*.

Cæterò quoniam forma satis dubia est, ut sinè peccato mortali non liceat illà uti, & simile iudicium est de aliis formis similiter dubiis. Sed & usus illarum, quæ certè æquivalent, ad minus erit peccatum veniale, quia contra præscriptum Ecclesiæ, quod planè congruit ab omnibus observari, juxta illud Tridentini sess. 7. de Sacram. in genere can. 13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sinè peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Si ritus planè accidentales sinè peccato pro libito omitti, aut mutari nequeant, quantò minus formæ essentielles Sacramento-rum?

Quamvis ergo hæc formæ certè sufficiant: Nos te absolvimus à peccatis tuis: *Ego absolvo dominationem vestram &c.* *Ego remitto, condono tibi peccata tua &c.* tu semper utere formâ communi: *Ego te absolvo &c.* si non vis peccare, nisi adsit aliqua iusta causa mutandi.

Mindis utendum sequenti formulâ: *Ego auctoritate Pape absolvo te à peccatis; de quibus contritus & confessus es.* Nam ab aliquibus dubitatur de ejus valore, eò quòd Sacerdos non absolvat auctoritate Papæ, sed auctoritate Christi, qui Joan. 20. dixit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*

Malè (inquit Joannes Hesselius in suo Catechismo cap. 6.) & falsò quidam dicunt: *Ego auctoritate Pontificis, vel, Episcopi te absolvo.* Non enim auctoritate eorum remittunt peccata, sed auctoritate Christi, qui dedit eis potestatem; quamquam verum sit, Pontificem debere satagere, ut idoneos ministros habeat. Hæc ille.

Si tamen sic absolvens, nihil aliud velle significare illis verbis, quàm potestatem jurisdictionis, quam accepit à Pontifice, vel Episcopo; & necessaria est ad validam Absolutionem, nihil falsi diceret, sed solùm aliquid superfluum; unde non videtur, quòd tunc illa verba vitarent formam. Ut nec isthæc *De quibus contritus, perfectè utique vel imperfectè, & confessus es;* quia licet etiam à non confessis penitens absolvatur, attamen non nisi indirectè. Atque hæc satis de formalis verborum.

Sequitur quæstio non minus intricata de sensu istorum verborum: *Ego te absolvo &c.* cum enim sæpè proferantur, quando confitens vel propter indispositionem est incapax remissionis peccatorum, vel certè jam solutus est vinculis peccatorum per præcedentem Contritionem Charitatem perfectam, aut Absolutionem Sacramentalem; quæstio gravis est, quomodo in his casibus subsistat veritas illius formæ. Respondeo breviter:

CONCLUSIO IV.

Ego te absolvo &c. idem est quòd: *Impendo tibi gratiam remissionis peccatorum, vel, Remitto tibi peccata tua.*

Non est quòd hic disputem cum Abulensi, qui aliquando pro Conclusionem posuit, ut ipse refert 1. parte sui defensorii c. 1. Licet nullum peccatum cuiuscunque conditionis, & pro quocunque statu irremissibile sit, à pena tamen, aut à culpa Deus non absolvi, nec aliquis absolvere possit. Nam hic Auctor per culpam intellexit privationem debitæ rectitudinis in actu, quæ per se cessat, cessante sive transiente actu positivo; sicut ergo nemo absolvitur ab illo actu positivo, quia ille non manet, & nihil omnino est eo tempore, quo Deus per Contritionem dicitur nos absolvere, vel Sacerdos absolvit nos in Sacramento, ità neque à culpa, quæ est accidens suum privativum. Ità se ipsum explicat cap. 5.

Et cap. 6. notat Scripturam sacram nunquam uti isto modo loquendi, scilicet quòd quis absolvatur à culpa; utitur autem illis verbis circa peccatum, scilicet dimittere, & auferre, & remittere, & tollere, & delere, & relaxare, & donare.

Et si objiciatur, inquit, quòd Matth. 16. dicitur: *Quocumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis, seu, in Cælo.* Dicendum, quòd non prædicatur solvere de peccato, ut aliquid peccatum dicatur solvi, sed prædicatur de homine, ità ut homo dicatur solvi de pec-

82.
Sed contra
arguitur ab
Auctore.

83.
Non licet
uti illà for-
mâ sinè gra-
vi peccato,
sicut nec
aliis simili-
ter dubiis.

Cano. Trid.

84.
Quid dicen-
dum de hac
forma, *Ego
auctoritate
Pape &c.*

Inq. 20.

Joan. Hesse-
lius.

de peccato, vel de vinculo. Maximè quia illud quod solvitur, est quod ligatur vel ligari potest; & tamen peccatum non ligatur, sed homo ligatur in peccato, vel per peccatum; ideo non est peccatum quod solvitur, sed homo de peccato solvitur. Absolvere autem quantum ad peccatum nunquam reperitur in sacra Scriptura, ità quòd nec peccata absolvuntur, nec aliquis ab eis. Hæc ille.

Sed amabo, quæ differentia inter absolutionem à peccato, & solutionem de peccato? Si ergo homo solvitur de peccato, juxta illud Matth. 16. Quodcumque solveris &c. quomodo non etiam absolvitur à peccato?

Deinde ostendo, ipsam Scripturam sacram aliquando uti isto modo loquendi, videlicet, quòd peccatum dicat solvi; Ita. 58. v. 6. Dissolve colligationes impietatis. Et 52. v. 2. Solve vincula colli tui (id est peccata) captiva filia Sion. Unde Mater Ecclesia in Oratione S. Petri ad Vincula: Deus qui beatum Petrum Apostolum à vinculis absolutum, illasam abire fecisti, nostrorum quoque absolve vincula peccatorum &c. Vincula, inquam, non physica, sed moralia; de quibus Propheta Regius Psalm. 118. v. 61. Funes peccatorum circumplexi sunt me. Peccatorum, dico, habitualium, seu actualium moraliter permanentium, quibus homo ligatur coram Deo ad odium ipsius, aut saltem aliqualem indignationem, præter pœnam æternam, aut temporalem. Ab his vinculis absolvit Sacerdos, quando dicit: Ego te absolvo &c.

Unitur autem Ecclesia hoc verbo; Absolvo, potius quàm, Remitto, quo usus fuit Christus Joan. 20. Quorum remisistis peccata &c. quia quilibet persona, etiam privata, potest offensam sibi illatam remittere; solius autem judicis est absolvere. Ut ergo denotetur actus judicialis, quem Sacerdos exercet, aptior est ea vox, Absolvo.

Et si quæris à me, quare ergo Christus non fuerit usus illo verbo, Absolvo, Joan. 20. ubi Apostolos constituebat judices. Respondeo; quia jam usus fuerat illa voce Matth. 18. ut autem ostenderet, de qua solutione hoc foret intelligendum, utique non de solutione vinculi alicujus materialis seu physici, sed spiritualis, Joan. 20. tuitur verbo, Remisistis, quod propriissimè significat ablationem alicujus obligationis seu vinculi spiritualis aut moralis, quale jam diximus esse peccatum.

Igitur, ut propius ad Conclusionem accedamus, Varii varios assignant sensus horum verborum: Ego te absolvo. Aliqui: Ego te declaro absolutum. Alii: Ego te libero à reatu pœnæ æternæ. Nonnulli: Ego te libero à reatu pœnæ temporalis. Inveniuntur etiam, qui sic explicant: Ego te libero ab obligatione consentiendi. Sed hos sensus sufficienter rejecimus ac reprobavimus sect. 1. concl. 4. ubi de effectu hujus Sacramenti.

Doctor Angelicus 3. parte q. 84. a. 3. ad 5. sic scribit: Dicendum, quòd ista expositio: Ego te absolvo, id est, absolutum ostendo; quantum ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta: Sacramenta enim nove Legis non solum significant, sed etiam faciunt, quòd significant. Unde sicut Sacerdos baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba, & facta, & non solum significantive, sed etiam effective; ità etiam cum dicit: Ego te absolvo, ostendit hominem absolutum non solum significantive, sed etiam effective. Nec tamen loquitur quasi de re incerta: quia sicut alia Sacramenta nove Legis habent de se, certum effectum ex virtute Pœnitentiæ Christi (licet possit impedi ex parte recipientis) ita etiam & in hoc Sacramento. Unde nec Sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta, sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Unde revelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. Esset autem perfectior expositio: Ego te absolvo, id est, Sacramentum Absolutionis tibi impendo. Hucusque D. Thomas.

Verùm & hæc expositio prout ibi jacet, multis displicet; nam formæ aliorum Sacramentorum non significant reflexe seipsas, sed vel materiam, vel effectum, v. g. forma Baptismi: Ego te baptizo &c. non significat, Ego confero tibi Sacramentum Baptismi; sed, ut clarum est, significat ablationem, seu applicationem aquæ ad corpus baptizandi, quæ est materia. Forma Ordinationis: Accipe potestatem &c. non significat, Ego confero tibi Sacramentum Ordinationis; sed, Do tibi potestatem &c. quæ potestas est specialis effectus illius Sacramenti. Et sic de cæteris. Ergo similiter forma Sacramenti Pœnitentiæ non significat collationem Sacramenti Pœnitentiæ; sed vel materiam, vel specialem aliquem effectum, quo distinguitur ab aliis Sacramentis, qui non videtur alius posse esse, quàm remissio seu relaxatio peccatorum.

Perfectior ergo erit utraque expositio, quæ ponitur in Conclusionibus, nam utraque significat specialem effectum hujus Sacramenti, videlicet remissionem sive relaxationem peccatorum. Nihilominus magna altercatio est inter Doctores, quæ ex istis duabus sit præferenda, Prima est Suarii disp. 19. sect. 2. n. 19. quam amplectitur Arriaga disp. 49. n. 38. Dicendum, inquit, censeo cum Patre Suario, sensum horum verborum: Ego te absolvo, esse; Ego confero tibi gratiam ex se remissionem eius peccati, quòd commisisti, si remissionem autem non est; illud tibi remitto. Per hanc enim explicationem clarissimè salvatur, veritas eorum verborum. Colligitur etiam non posse dici, nisi reipsa præcellerit peccatum in eo homine; quia dico, gratiam remissionem peccati, quòd commisisti, & illud tibi remitto, si non fuit remissum, quæ duo dici non possunt, quando nullum præcessit peccatum. Hæc ille.

Sententia Doct. Angelici

91. que multa duplicet, nisi com- mode explicetur.

92. Expositio Suarii quam amplectitur Arriaga.



& quæ impugnatur à Lugone.

Sed contrà arguit Lugo disp. 13. n. 71. Hæc verba: *Ego te absolvo*, ex hominum institutione non habeat significare gratiæ collationem; sed remissionem debiti, & solutionem vinculi; ergo licet in hoc Sacramento caufentur gratiam, ipsa tamen de se id non significant.

93. Prima responsio, sufficit quod significet gratiæ collationem, ut substantiatur institutioni Christi.

Respondeo; sufficit quod significet gratiæ collationem, ut substantiatur institutioni Christi; sic enim, & non aliter, sunt forma hujus Sacramenti; neque hic queritur de significatione istorum verborum, ut sunt verba humana, id est, ut instituta ab hominibus; sed ut sunt determinata à Christo, & elevata ad rationem Sacramenti, sic enim, & non aliter, sunt forma hujus Sacramenti.

Et quamvis Christus, verba aliorum Sacramentorum reliquit in sua institutione humana, ubi, & quando commodè poterat relinquere; equidem hic non reliquit, videtur satis probari; quia difficulter intelliguntur vera in illa significatione; quando peccata, à quibus poenitens nunc absolvitur, prius fuerant remissa per Contritionem charitate perfectam, aut aliud Sacramentum Absolutionis; Cùm ergo nulla fuerit necessitas relinquendi illa verba in sua institutione humana, nulla est ratio urgens, ut asseramus, Christum id fecisse, & non magis voluisse, ut solum verifiarentur juxta significationem sacramentalem.

94. Secunda responsio ex Arriaga, quod etiam aliquando significet gratiam juxta significationem humanam.

Respondet 2. Arriaga, ea verba significare hic & nunc gratiam juxta significationem humanam. Nam homines dum dicunt: *Ego tibi par. o.* planè significant: *Ego te in gratiam recipio, uti antea eras, seu, Restituo te in statum pristinum.* Cùm ergo homines de facto apud Deum ante commissum peccatum in gratia fuerint, idem est dicere nomine Dei (ut loquitur ibi Sacerdos) *Ego tibi condono offensam*, ac dicere, *Recipio te in statum antiquum*, seu, *Ego te recipio in meam antiquam gratiam.*

Itaque illa verba: *Ego te absolvo*, significant remissionem secundum subjectam materiam, & alias circumstantias; adeoque etiam modum, quo solet talis remissio fieri; unde inter homines non significant gratiam habitualementem, sed affectum seu amicitiam humanam; inter Deum autem & homines gratiam habitualementem, cùm, secundum presentem Dei ordinationem, Deus non aliter absolvat seu remittat peccata sive venialia, sive mortalia, quam infundendo gratiam habitualementem, per quam peccator ex inimico fit amicus, & justus assumitur ad æctius vinculum amicitiae.

95. Probat exemplo forma Eucharistica; Hoc est Corpus meum.

Quod autem hoc sufficiat, probat Arriaga exemplo forma Eucharistica; *Hoc est Corpus meum*: Si enim, inquit, Sacerdos, nihil prorsus præmittendo, unde determinet sua verba ad Christum loquentem, dicat supra debitam materiam, cum animo serio consecrandi, *Hoc est Corpus meum*, consecrabit validè in omnium

omnino sententia; & tamen tunc illa verba, si considerentur secundum se, non significant Corpus Christi, sed potius corpus ipsius consecrantis: nam rō *Meum* in sua naturali significatione, quando nihil aliud est præmittendum, per quod determinatur ad significandum pro alio, est vox reciproca supra ipsum loquentem; & tamen quia ille inducitur loquens nomine Christi, jam directè significatio ejus vocis, *Meum*, non est ipsius loquentis, sed Christi.

Dico ergo, cùm Sacerdos, dans Absolutionem, inducatur eam dans nomine Christi seu Dei, licet ea verba: *Ego te absolvo*, si nudè considerentur, nihil dicent de gratia, absolute tamen hic & nunc eam directè significant: quia Deum dicet, *Ego te recipio in meam priorem gratiam* sine dubio est directè significare gratiam habitualementem, & deletionem præcedentium peccatorum. Hæcque Arriaga.

Equidem disparitas aliqua est; quod ly *Meum*, directè significet personam loquentem, cùm ergo Sacerdos loquatur in persona Christi, non mirum quod Christum directè significet; ly autem *absolvo*, vel, *Remitto*, videtur significare directè & per se relaxationem peccati, abstrahendo à modo; quo illa fit; per accidens autem & indirectè tantum infunduntur gratiæ. Et quamvis Sacerdos absolvat nomine Christi, seu ut gerens vicem Christi; non tamen, in persona Christi, sed in persona propria; sicuti iudex delegatus in iudiciis humanis absolvit vel condemnat, non in persona iudicis ordinarii, licet gerat ejus vices, sed in propria persona, auctoritate ab ipso accepta.

Unde ly *Ego*, in forma Absolutionis non significat personam Christi, sed personam Sacerdotis. Ly *Ego* (inquit Scotus 4. dist. 21. q. 2. n. 5.) *stat hic* (in forma Absolutionis) *pro persona ministri.* Et n. 7. *Sacerdos in Confessione nec audit, nec loquitur in persona Dei, sed in persona propria, licet auctoritate Dei, ut minister.*

Quidquid ergo sit de directè significatione, quare, dicit aliquis, non sufficiat significatio per accidens & indirecta? Enimvero ly *Baptizo*, quid aliud directè significat, quam ablutioem sive absterisionem sordium? Quod autem illa fiat aqua, vel vino, per accidens est; ergo ly *Baptizo* in forma Baptismi, per accidens solum significat ablutioem in aqua naturali; quia per accidens est, quod aqua naturalis fiat. Si illa significatio ibi sufficit, cur non similiter indirecta significatio gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ?

Quia quamquam aliter fieri posset remissio, quam per infusionem gratiæ, sicut aliter posset conferri Baptismus, quam per ablutioem aquæ; equidem de facto à Deo sic ordinatum est, ut remissio peccatorum non fiat, nisi per infusionem gratiæ; sicut ordinatum est, ut Baptismus non fiat, nisi per ablutioem aquæ; si tamen

si tamen ordinatus fuisset Baptismus, ut fieret per ablutioem vini, etiam tunc vera fuisset illa forma: Ego te baptizo &c. uti & vera foret forma ordinaria Absolutionis, si Deus ordinasset remittere peccata absque infusione gratiæ, per meram extrinsecam condonationem.

Planè, inquis, foret vera, & ideo non substituit ille sensus: Impendo tibi gratiam remissivam; licet enim ly *Abolvo*, significet indirectè & per accidens infusionem gratiæ, per quam remittuntur peccata; tamen nemo negare potest, quin directè & per se significet ipsam remissionem peccatorum secundum se, abstrahendo à modo, quo peccata remittuntur. Sicuti nemo negare potest ly *Baptizo* & tamen si in forma Baptismi indirectè & per accidens significet ablutioem in aqua, per se tamen & directè significare ablutioem secundum se.

Proinde veluti defectus ablutioem falsificat formam Baptismi, ita defectus remissionis falsificabit formam Absolutionis, estò conferatur gratia remissiva, quia illa non significatur, nisi in quantum necessaria ad remissionem peccati; si ergo remissio peccati non significatur, neque illa gratia significabitur secundum institutionem humanam. Iam autem fieri potest, ut nullum aut peccatum remittendum; quia videlicet omnia antecedenter remissa sunt; vel si adsit, per absolutam Dei potentiam fieri potest; ut gratia, quæ infunditur, illud non remittat.

Accedit; quòd formam Baptismi habeat hunc sensum Sacramentalem: *Confero tibi gratiam remissivam peccati*; eundemque sensum haberet pariter alia forma Sacramenti Pœnitentiæ, si Christus illam instituisset, v. g. hæc: *Amplius noli peccare*. Quin immo, cum omnia Sacramenta dent gratiam habituale, quæ est remissiva peccati, nondum explicatur propria significatio eorum verborum: *Ego te absolvo*, prout pertinent ad formam Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondetur ad ultimum; per alia Sacramenta non concedi gratiam eo fine, ut remittantur peccata, sed supponi jam remissa, & potius dici: *Augeo tibi gratiam*, vel si etiam illo fine concedatur, saltem non principaliter, ut remittantur peccata post Baptismum commissa, quod proprium est formæ Absolutionis.

Quantum ad illam formam: *Amplius noli peccare*, & similes, quas Christus potuisset instituire, estò haberent eundem sensum sacramentalem, quid tum? Et verò si Christus potuit hanc formam instituire, *Amplius noli peccare*; & per illam remittere peccata, tamen non significet remissionem peccatorum humano modo, quid ni potuerit instituire formam ordinariam, *Absolvo te*, ut sensus sit, *Do tibi gratiam*; per quam hæc peccata, de quibus te accusas, si non sunt remissa, remittuntur?

Atque in hoc sensu Arriga supra n. 40. intelligit D. Thomam, dum ait, ea verba significare idem quod, *Sacramentum Absolutionis tibi impendo hoc est, Tibi do gratiam eo animo, ut ab his peccatis absolvaris*: etenim cum omnia nostra Sacramenta sint collativa gratiæ, D. Thomas per *do Sacramentum*, quod ponit loco generis, idem intelligit quod, *Concedo tibi id, quod omnia Sacramenta concedunt*, id est, gratiam; per *do verò Absolutionis*, quæ est differentia, intelligit S. Doctor gratiam, ut absolvaris ab his peccatis, quæ commisit, intellectà tamen conditione, Si adhuc non sunt remissa. Hæc ille.

Itaque (quidquid sit de mente D. Thomæ) satis probabiliter à Suario & aliis multis, qui ipsum sequuntur, forma ordinaria, *Absolvo te*, sic exponitur: *Impendo tibi gratiam remissivam peccati quod commisisti, & remitto illud tibi, si nondum remissum est.*

Atque pro hac expositione allegari posset Scotus 4. dist. 19. n. 31. ibi: *Hoc videmus in sententiis desinuis in foro litigioso, quibus absolvuntur accusati, quando inveniuntur innocentes; nec potest replicatur inquisitio, ut sit processus in eadem causa, nec si replicaretur, per illam secundam sententiam iste absolveretur, sed per primam; qui enim solutus est, amplius non absolvitur, quia nullus solvitur nisi ligatus.*

Ubi videtur reprobare secundam expositionem, in Conclusionem propositam, videlicet: *Remitto tibi peccata tua*; fieri quippe potest, ut nulla peccata remittantur per formam Absolutionis, vel quia subiectum est in dispositione defecta doloris v. g. vel quia per Contritionem Charitate perfectam, aut virtute Clavium omnia peccata, de quibus poenitens hic & nunc se accusat, antecedenter sunt remissa; quod autem remissum est amplius non remittitur; sicuti qui solutus est, amplius non absolvitur; quia nullus solvitur nisi ligatus. Loquitur Doctor de solutione à reatu poenæ temporalis; videtur autem eadem ratio de reatu culpæ.

Sed hæc non cogunt recedere ab illa expositione; nam quantum ad primum casum, nullum inconueniens est, quòd verba non sint vera, quando alioquin Sacramentum est invalidum; sicuti in nostra sententia est, quando ob indispositionem Poenitentis non confertur gratiam sanctificantem; non enim admittit Sacramentum validum & informe, de quo proprio loco.

Neque illud inconueniens, si aliquid esset, magis adversaretur secundæ expositioni, quam primæ, ut nimis manifestum est. Quòd autem non sit inconueniens, patet in Sacramento Ordinis, dum Episcopus ordinat aliquem incapicem, tunc enim verba illa: *Accipe potestatem* &c. falsa sunt, cum nullam potestatem ordinatus accipiat.

Explicatur mens S. Thomæ. Arriga.

101. Expositio Suarii est satis probabilis.

pro qua allegari posset Scotus.

qui videtur reprobare secundam expositionem in Conclus. propositam.

102. Defenditur 2. expositio, Remitto tibi peccata tua.

Non est inconueniens, quòd forma sit falsa quando poenitens est indispotus.

103. Existimat Lugo formam esse veram in Sacramento valido, sed informi,

Si verò inquit Lugo disp. 13. n. 72. Sacramentum Pœnitentiæ cum sententia probabiliter admittatur, aliquando esse validum, sed informe, hoc est, non causans actu gratiam ex defectu dispositionis sufficientis, tunc verba erunt vera, sicut sunt vera verba Episcopi ordinantis eum, qui est in peccato. Dicit enim: *Accipe Spiritum sanctum* &c. quæ verba sunt vera, quia faciunt hunc sensum: *Quantum est ex me, do tibi Spiritum sanctum*; sic in præsentia verba sunt vera, quia significant: *Quantum est ex me, remitto tibi peccata*, cum quo stat, non poni remissionem, quamdiu non aufertur obex per debitam dispositionem, quia verba hæc in ore Sacerdotis, qui non est dominus absolutus, sed minister cum potestate limitata, non habent sensum omnino absolutum, sed limitatum, scilicet, si adsint requisita. Sicut Judex quando declarat aliquem esse innocentem vel delinquentem, verba illa non faciunt sensum omnino absolutum, sed limitatum, scilicet, secundum allegata & probata. Hactenus Cardinalis.

104. Sed aliquibus id non placet,

Sed Aliquibus non placet; quia sic etiam vera esset forma Absolutionis, quando Sacramentum administratur invalidè defectu omnis omnino doloris; nam quantum est ex parte ministri remittitur peccatum, si adsint requisita. Similiter vera foret hæc forma Ordinis: *Accipe potestatem* &c. tametsi nulla omnino daretur potestas propter incapacitatem subiecti; quia videlicet Episcopus, quantum est ex parte sua, dat illam potestatem, si adsint requisita.

Quantum ad illam formam: *Accipe Spiritum sanctum*, Arriaga suprà n. 41. putat sensum illius non esse, *Accipe Spiritum sanctum per gratiam habituatam*; sed, *Accipe virtutem Spiritus sancti in ordine ad remittenda peccata*; hanc autem virtutem omnino recipit, qui validè ordinatur in malo statu.

105. Proponitur difficultas contra 2. expositionem.

Utrumque sit de hac controversia, quæ minoris est momenti, major difficultas est, & valde laborat Cardinalis ut ostendat, quomodo verificetur forma secundum prædictum sensum, quando omnia peccata, de quibus se hic & nunc acculat pœnitens, antecedenter sunt remissa; nam peccatum jam dimissum non magis nunc ligat, ac si nunquam fuisset; ergo si nullus verè absolvitur à peccatis non commissis, neque à peccatis semel dimissis verè poterit absolvi.

Veluti de illo, qui jam solutus est à vinculis corporeis, non magis verè dicitur: *Ego te solvo à vinculis corporeis*, quam de illo, qui nunquam fuit adstrictus vinculis corporeis, juxta illud Scoti suprà: *Qui solutus est, amplius non absolvitur, quia nullus solvitur nisi ligatus*.

106. Satisfit difficultati propositæ.

Quod ad Scotum attinet, mentem ipsius, quæ satis dubia est, exposuimus & explanavimus pro posse nostro sect. 2. concl. 2. vide ibi dicta.

Quantum ad rem ipsam: non mentitur, qui post dimissum semel debitum vel offensam, iterum rogatus, dicit, se dimittere. Nam sicut, qui semel se obligavit alicui ad aliquid præstandum, potest iterum se ei obligare ad idem, & qui semel vovit, vovet iterum & iterum, & promittit sapius idem objectum, sic qui remisit debitum, potest iterum idem remittere; nam remittere in rigore est, obligare se per cessionem juris; ad non utendum jure acquisito ratione offensæ, in ordine ad talem vel talem effectum; quare sicut possumus per obligationem repetitam dare idem jus, seu jus ad idem alicui, ita per remissionem repetitam, possumus renunciare eidem juri in favorem alicujus.

Sic per Professionem Religiosam renunciamus sæculo, divitiis &c. & tamen repetenter Professionem vel vota Religiosa, repetimus absque mendacio eandem renunciationem, id est, iteratò declaramus efficacem voluntatem nostram, transferendi à nobis illud jus, quod ante Professionem habebamus ad utendum sæculo, divitiis &c.

Ergo similiter Sacerdos gerens vicem Dei, nomine ipsius, post semel declaratam efficacem voluntatem non utendi jure, quod ei competeat ratione offensæ præteritæ, potest iteratò declarare eandem voluntatem verè & validè, ita ut si per impossibile prior voluntas irritaretur, adhuc maneret sufficiens titulus, ratione cujus Deus non posset uti jure suo, quod aliquid quando habuit.

Et quidem hunc solùm esse sensum illius verbi, *Remitto*, constat ex usu omnium hominum, qui eandem offensam solent sæpius remittere, nec tamen putant se mentiri, quando secundà vice remittunt. Ita paucis immutatà Lugo suprà n. 73.

Ex quo patet responsio ad simile de vinculis corporeis; nam hæc propositio: *Ego solvo te à vinculis corporeis*, pro immediato objecto habet ipsam solutionem vinculi corporei, quæ indubiè repeti non potest, nisi repetatur ipsum vinculum corporeum. Porro hæc propositio: *Remitto tibi peccata tua*, non habet pro objecto immediato ablationem externam alicujus vinculi, sed significat actum meæ voluntatis, quo ego interitò cedo jure prius acquisito ex offensâ, & obligo me ad non utendum illa jure ad id, ad quod aliquando potui eo uti.

Dico; *jure prius acquisito*; quia si nunquam fuit aliquod jus acquisitum, deficiente utique objecto, necessariò deficit actus, id est, cessio seu remissio juris; ac proinde falsò & invalidè dicuntur illa verba, *Remitto tibi peccata tua*, de peccatis nunquam commissis.

Sed quid ad hæc Adversarii? Bene capimus, inquit Arriaga suprà n. 34. eum qui ligatus est, posse 2. & 3. ligari, id quod probant instantiæ allatæ de voto repetito, de renova-

Quædam remissio...

107. Professio...

110. Responsio...

108. Responsio...

109. Constat...

tionem Professionis Religiosæ &c. at eum qui caret omni vinculo, solvi tamen à vinculo, est penitus imperceptibile, sive id sit intelligentiæ de vinculo corporali, sive de spirituali; quia pro hoc puncto reverè ea differentia est planè materialis, cum Absolutio omnis in suo genere requirat vinculum, sicut autem se habet Absolutio materialis ad vinculum materiale, ita Absolutio spiritualis se habet ad vinculum spirituale.

Intelligitur præterea optimè, eum qui est indutus, posse adhuc novas vestes accipere, & secundò tertioque indui, at eum qui omnino veste caret, posse spoliari vestibus, & posse ei auferri vestes, est prorsus in intelligibile, ergo ab illo, qui caret peccato, non minus, quàm si nunquam peccasset, nemo potest auferre peccata.

Ergo cum ea verba, *Condono peccata, Absolvo te à peccatis*, idem omnino sint ac, *Aufero à te tua peccata; Destruo tua peccata; Libero te à tuis peccatis; Deleo tua peccata*, sit autem tunc falsissimum, *Aufero à te peccata*, quia quod non est, non potest auferri; sit etiam falsum, *Destruo tua peccata*, quia quod non est, non destruitur; sit falsum, *Libero te à peccatis tuis*; quia nemo potest extrahi è carcere, ubi carcer est nullus; sit etiam falsum; *Deleo tua peccata*, quia ex pagina albißima, ubi nihil est scriptum, deleri nihil potest; etiam antea fuisse tota nigra, ego sanè non capio, quomodo ea verba vera esse possint tunc ullo modo. Hucusque Arriaga. Et nondum statim finis.

Sed lubet obitare principio. Respondèe ergo unico verbo; non semper valere argumentum à physycis ad moralia; ut ex sexcentis exemplis, si opus esset, possemus demonstrare, sufficit unicuique de quo modò tractamus. Quæro enim abs te, hoc argumentum valet: Nullus corporaliter ligatur, nisi per actionem aliquam externam; neque solvitur à vinculis corporalißibus, nisi per actionem aliquam externam, ergo nullus ligatur spiritualiter, aut solvitur spiritualiter, nisi per actionem aliquam externam? Clarum est, quòd peccatum internum liget spiritualiter, & Contritio merè interna solvat spiritualiter. Si in hoc est differentia inter vinculum corporale & spirituale, inter solutionem vinculi corporalis & spiritualis, cur non etiam in eo, quòd sapius possit solvi idem vinculum spirituale, idem autem vinculum corporale non nisi semel?

Nonne peccata semel remissa per Contritionem, possunt esse objectum novæ Contritionis, eodem planè modo, ac si antea non fuissent remissa? Ad hoc enim nihil aliud requiritur, quàm ut peccatum repræsentetur, quasi de novo iteraretur, & quasi nondum foret remissum, id est, ut repræsentetur peccatum secundum se, sicut aliquando fuit, id est, ut à me commissum, præcindendo ab ejus remissione. Si ita

consideratum potest esse objectum novæ Contritionis, cur non etiam novæ Absolutionis & remissionis? Quid simile reperitur in vinculis corporeis, & eorum solutione?

Neque hujusmodi repræsentatio peccati est chymica, sicut foret repræsentatio peccati nunquam commissi; repræsentatur enim id, quod verè à parte rei aliquando fuit, & sicuti fuit, quamvis non sicuti de factò est, sed præcindendo, sicut dixi, à remissione præterita; peccatum autem nunquam commissum, ut esset materia hujus Sacramenti, repræsentari deberet ut commissum, quod liquet planè esse chymericum.

Sicuti ergo nemo iteratò contritur de peccato ut antea remisso, cum remissio non sit objectum displicens, sed maxime placens; sic etiam non absolvitur iteratò à peccato ut priùs commissò; sed à peccato, quod priùs commissum fuit, & quod ut tale proponitur absolvendum, quod perspicuè manifestum est non habere locum in peccato, nunquam antea commissò. Unde Absolutio à peccato non commissò liquet, quòd sit falsa, cum caret suo objecto; sed Absolutio à peccato commissò, sed remisso, cum, secundum omnes, peccatum remissum sit vera materia & objectum Absolutionis.

Ex his facilis est responsio ad id, quod secundo loco objicit Arriaga supra: Qui, inquit ille, penitus nullum habet jus, non potest credere juri, ut ex terminis patet, ergo licet possit dicere: *Ego me obligo ad non utendum iure antiquo*, non potest dicere: *Ego me nunc ad id obligo redendo simul iure*. Confirmatur: Si mihi Petrus debuisset mille, postquam tamen solvit, non possum verè dicere illi: *Ego tibi remitto debitum*, licet possim dicere: *Ego me obligo ad non petendum à te quidquam ratione debiti antiqui*.

Deinde postquam peccatum ex integro delictum est, Deo est omnino impossibilis repetitio juris, seu usus juris antiqui in ordine ad odium, quomodo ergo possumus concipere, Deum se nunc obligare ad non faciendum id, quod est ipsi planè implicatorium? Potestne Deus nunc dicere: *Ego me obligo de novo, & cedo meo iure ad non peccandum? Obligo me, quòd non velim desinere esse Deus, aut, quòd non velim meipsum annihilare*; aut, *producere chymeram*? Hæc ille.

Intertogo & ego unum verbum. Potuitne Deus aliquando dicere: *Obligo me, quòd non velim desinere esse Deus &c.* Deinde potuitne Deus aliquando dicere: *Obligo me, quòd non velim uti iure meo, quòd habeo ad odium propter peccatum præteritum*? Quia ergo aliquando hoc potuit dicere; ideo & nunc potest dicere, quando proponitur ipsi peccatum præteritum, præcindendo à remissione ejus, quia ut sic proponitur ipsi jus, quod aliquando verè habuit ad odium; nunquam autem habuit aliquod jus ad peccandum, vel ad sui annihilationem.

M m m aut

111.
Diffrimè
inter peccat
um semet
remissum,
& nunquam
comidum,

112.
Secunda
objectio Ar
riaga, qui
nullum ha
bet jus, not
potest cred
te jure sub

113.
Solvitur

aut productionem chymæ, & ideo nunquam verè potest dicere: *Obligo me, quod non velim peccare, quod non velim meipsum annihilare, aut producere chymeram*; secus, quod non velim uti iure, quod aliquando habui ad odium, & nunc mihi proponitur, ac si de factò adhuc haberem.

Et idem dico de illo homine, cui debitum solum proponeretur præcindo à solutione, & à quo rogaretur remissio illius, ut patet ex communi apprehensione & iudicio omnium hominum, qui non putant se mentiri, tametsi ita interrogati, respondeant: *Ego remitto tibi debitum tuum*. Non est autem dubitandum, quin Christus verba Absolutionis accommodarit communi captui hominum, quantum commodè fieri potuit.

Omitto tertium argumentum Arriagæ, quod est de peccato nunquam commissò; ut etiam quartum de vinculis physicis, quia jam sufficienter soluta sunt, aut facillè solvi possunt ex dictis.

114.

Ultimum argumentum Arriagæ, nemo potest rem donatam secundò donare.

Ultimò argumentatur; quia nemo potest rem, quam alteri vendidit, aut donavit, donare secundò; ergo nec potest condonare injuriam condonatam ante; quia condonatio est quædam species donationis. Et hinc obiter observo, inquit ille, non sufficienter explicari ab hoc Autore (intelligit Lugonem) cur non possit Matrimonium cum eadem secundò, & tertio contrahi; quòd enim dicat, illud non constitui per promissionem quamcumque, sed per illam, quæ est traditio & introductio conjugis in possessionem; non videtur omnino verum; etenim ad Matrimonium non requiritur physica ulla introductio aut traditio, distincta ab ea, quæ consistit formaliter in donatione ipsa, seu in voluntate, quæ invicem se obligant (ut clarè patet in Matrimonio contracto per Procuratorem) ergo si hæc obligatio seu donatio potest secundò & tertio fieri, poterit etiam secundò & tertio contrahi Matrimonium.

Debet ergo consequenter dici, uti nemo donare potest id, quod non est suum, ita post semel donatum jus in corpus, non posse secundò donare, & inde oriri repugnantiam, ne secundò contrahatur Matrimonium; ergo (ut ad materiam nostram redeamus) non poterit esse condonatio ejus juris, quod jam non est Dei; ac proinde nec poterit esse vera & propria condonatio peccati jam remissi. Hactenus Arriagæ.

115.

Respondeo enim, remissionem peccatorum non esse speciem donationis.

Respondeo, condonationem seu remissionem peccatorum non esse speciem donationis, sed potius speciem promissionis. Nam donatio est contractus, qui perficitur traditione, id est, qui non censetur celebratus, nisi re tradita; adeoque nisi re acceptata; jam autem constat, remissionem peccatorum fieri posse, non solum non acceptante, sed etiam parte renuente.

Neque per remissionem peccatorum transferatur dominium alicujus rei in alterum; sed remittens solum obligat se, ad non utendum jure ad odium, quod per peccatum acceptum, restituitur peccatorem in pristinum statum, in quo erat ante peccatum, nolens amplius tunc jure suo.

Ex quo patet diversitas inter remissionem peccatorum, & contractum Matrimonii, qui communiter definitur: *Consensu reciproco maris & femine, signo externo expresso, quo utriusque perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem*. Jam autem posito primo Matrimonio, vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier; & mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, attestante Apostolo 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Ergo vir non potest secundò aut tertio tradere illam potestatem: similiter nec mulier; quia non traditur, quod non habetur.

Illam ergo renovatio fidei semel data, solum est promissio servandæ fidei. Sic ut quando aliquis Religiosus renovat votum professionis, non dicitur rursus proficere, quia professio significat traditionem sui in jus Ordinis; sed ad summum illa renovatio habet rationem simplicis voti, vel promissionis respectu Dei, vel etiam respectu Ordinis, si fiat Prælato. Cui hæc disparitas displicet, quærat meliorem.

Mihi certum est posse quempiam alteri remittere offensam, etiam cum effectu ipsò, cui remittitur, nihil minus cogitante; ut patet, quando penitentes, interrogati à Confessorio, an remittant ex corde eis, à quibus passi sunt aliquam injuriam, respondent se remittere, & desuper absolvuntur à peccatis suis, à quibus alioquin non absolventur; quis autem, nisi cæcus, non videat, talem remissionem potius esse promissionem non sumendi vindictam, quam veram aliquam donationem?

Atque hæc sufficiant de sensu horum verborum: *Ego te absolvo*, qui duplex est, unus quasi grammaticalis, alter sacramentalis; elige quem malueris, & non errabis in fide, aut bonis moribus; eandemque recipies gratiam Spiritus sancti: novam utique cum novo Sacramento, etsi de eisdem peccatis.

Pluris interest, an elegantur pro forma hujus Sacramenti verba proprie dicta seu formalia, an verò alia signa æquivalentia; agitur enim de valore Sacramenti, qui non dependet à iudicio humano, sed à sola voluntate Dei. Quæris autem à me, quæ in presenti controversia sit voluntas Dei? Respondeo & erit

CON-